



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

8. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

ab illis pravis affectibus, sed etiam ab hypocrisi & impio fastu imprimis purus est. Nihil ergo omnino respondit Calvinus, & manet obiectio firma, ideoque & tota eius prior disputatio vana. Denique *insignis hic locus*, ut eum vocat, nihil eum iuvat, nihil Catholicam doctrinam laedit, quae docet ex bonorum operum iustitia homines coram Deo vere iustos esse, quia talis iustitia verum Spiritus S. donum est, & veram fiduciam parit, quae *in Domino gloriatur, tum in semetipso gloriae habet*, 1. Cor. 1. Gal. 6. quod utrumque Paulus dixit: sed non, sicut iste Phariseus, *gloriae habet in altero*. i. non se praefert alijs, nec de aliorum peccatis, quibus ipse caret, gloriandi materiam accipit.

IN LVCAE CAP. 19.

8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.*

HANC quoque historiam Evangelicam suo fermento corrumpit Calvinus, & tam illustrem poenitentis peccatoris satisfactionem omnibus modis obscurare, suamque solam fidem, hoc exemplo periclitantem, fouere & stabilire conatur. Primum garrit opus ipsum ex se potuisse esse vitiosum. *Posses* (inquit) *quis omnia sua in pauperes erogare, cuius tamen liberalitas nihili esset coram Deo*. Ita primum vellicat factum, quia potuit esse non bonum. Mox tamen agnoscit hoc factum Zachaei ex viua radice interioris poenitentiae prodixisse. Voluit nihilominus pro sua mordendi libidine hunc unum illi dentem prius infingere. Addit deinde & alium quem alius impressit, totumque piuum Zachaei studium dilacerat. *Sicuti* (inquit)

Poenitentia & satisfactio Zachaei defenditur.

Calvini dentes canini.

(inquit) Paulus de penitentia differens ad Ephes 4 Qui furabatur, tam non furetur, magis autem manibus laboret, ut alijs subueniat; ad hæc officia nos hortatur, ex quibus intelligant homines nos esse in melius mutatos. Ergo à corde incipiendum est, sed operibus testanda simul est nostrar. simplicitas. Hæc ille. Impostor impius omnia pœnitentia opera & hoc Zachæi factum nihil aliud vult esse, quàm testimonia conuersionis coram hominibus, coram Deo autem ipsa opera nihil valere. Sic iuxta Calvinum eleēmosyna clanculū facta, oratio in cubiculo clauso, ieiunia, & omnis mortificatio occulta (quæ maximè Christus commendat Matth. 6.) nihil valebunt, quia coram hominibus nihil restari possunt. Alium adhuc dentem infigit. Zachæus suo exemplo alios minimè obstringit ut se dimidia bonorum suorum parte denudent: sed tantum tenenda est regula quam Dominus præscribit, ut nos & nostra omnia consecremus in sanctos vsus ac legitimos. Exemplū quidem Zachæi non obstringit, sed hortatur, & documento est sequi volentibus. An purat Calvinus hoc Zachæi factum non fuisse diuitiarū suarum vsus sanctū ac legitimū? Cur ergo Christus hoc eius propositum audiens, illud non reprobauit? Imò cur approbavit, subiungens eum esse filium Abrahæ? Deinde si iuxta Paulum opus pœnitentiæ sanctū ac legitimū est, ut qui furatus est, nō solum nō furetur amplius, sed etiam manibus laboret, ut habeat unde tribuat necessitatē patienti; quare opus pœnitentiæ sanctum quoque ac legitimū non erit, si pœnitens peccator exemplo Zachæi dimidium bonorū suorum dat pauperibus? Sed Caluino ac Calvinistis diuitiarū vsus nec sanctus nec legitimus videtur, quum tam largæ eleēmosynæ fiunt, ut vel dimidium bonorum detur, vel (ad quod Christus diserte hortatur) totum vendatur, & detur pauperibus.

Impostura
Caluini
refutatur.

Eleēmo-
syna lar-
gior: s
Caluini-
stis displi-
ceat.

sibus Nam & hæc Christi verba non secus deprauavit Calvinus, vt ibi dictum est. Ita animi sensus diuinis Scripturis penitus contrarios gerunt. Matth. 19.

Pergit adhuc magis mordere, totamque hanc historiam Euangelicam magis dilacerare Calvinus. *Christus* (inquit) *testimonium Zachæo reddens, quum diceret, Salus huic domui facta est, nihil in eo fuisse simulatum pronuntiat. Neque tamen salutis causam bonis operibus Zachæi ascribit; sed quia conuersio illa certum erat diuinæ adoptionis pignus, merito inde colligit domum illam salutis esse heredem. Et hoc quoque verba sonant. Nam quia Zachæus vnus sit ex Abrahamæ filijs, ratiocinatur saluam esse eius domum, Porro vt quis censeatur inter Abrahamæ filios, si dem eius imitatur nec esse est. Hæc ille. Breuiter respondeo: Bona opera Zachæi non fuerunt salutis eius causa, sed fuerunt fructus pœnitentiæ digni, & satisfactiones pro peccatis, quales Calvinus cum suis pati non potest. Non fuit Zachæi conuersio adoptionis diuinæ pignus, sed ipsamet adoptio diuina, cuius fructus erant ista bona opera. Iam enim totus conuersus ad Deum, ideoque adoptatus in filium, profert opera filio digna, & præcedentium peccatorum satisfactiones: quia illis remissis, pœna tamen manebat temporalis. Christi autem ratiocinatio, *saluam esse domum quia filius Abrahamæ fuerat, nec solam eiusdem, nec sola hæc opera considerauit, vt causam adæquatam, sed ipsam Dei electionem. Censeri autem inter filios Abrahamæ, non solum fidei imitationem requirit, quam solam ponit Calvinus, sed etiam bonorum operum Abrahamæ, dicente Christo Iudæis; Si filij Abrahamæ estis, opera Abrahamæ facite.* Adiungit tamē Calvinus *Imò hæc laudem Scriptura proprie fidei tribuit, quod germanos Abrahamæ filios ab extraneis discernat. Sciamus ergo eam præcipue in Zachæo laudari, cuius gratia factum est vt*
bona*

Ioan. 8.

Caluini
artes, vt
Scripturā
Iudificet.

Iac. 2.

Gal. 5.

*bona quoque opera Deo placerent. Hæc ille. Artificiose laudē Zachæi à bonis operibus quæ Euāgeliū expressit, ad vnā fidē quā Euāgeliū tacuit, traduxit. Sed Scripturā nō minus propriè ex bonis operibus discernit filios Abrahæ quā ex fide, vt verba Christicitata nos docuerunt. Fides quoque non secus Deo placet propter bona opera, quā bona opera propter fidem. Imò *Abrahæ fides ex bonis eius operibus consummata est*, ait Iacobus, & *sine bonis operibus fides inanis ac mortua est*, nec filios Abrahæ sola fides facit, sed *fides per charitatem operans*. Ita totā hanc Zachæi conuersi commendationem ac laudem totāque hanc historiam Euāgelicam impius Calvinus penitus inuertit atque peruertit. Fingit postea *ex audita redemptione Ecclesie, & mundi reconciliatione per Christum, eiusque doctrinæ fide, salutem Zachæi originem accepisse*. Sed hæc fictio in litera Euāgelica nullum fundamentū habet, ideoque vt commentum humanum & Calvinianum penitus reijcienda est. Zachæi salus ex interna Christi gratia qua sese apud eū inuitauit, vt hinc Euāgelium narrat, originem accepit. Alia salutis eius origo extra verbum Dei fingenda non est.*

IN LVCÆ CAP. 20.

46. *Qui volunt ambulare in stolis.*

Caluini
maledicentia
re-
tunditur.

SCRIBARVM fastum & ambitionem ad vniuersum Catholicæ Ecclesiæ clerum maledicus Calvinus contorquet, sacrum Dei verbū transferens in maledicentię suę libidinem, sicut alijs suis dogmatibus Dei gratiam in luxuriam transfert. *Ratione (inquit) non caruit, Doctores ita vestiri, vt in eorum habitu plus grauitatis & modestiæ quam*